

expeditionem assump̄tis, agmine silenti profecti, subito vicissim impetu castra hostium cum magna c̄ede expugnarunt. prædæ haud ita multum in iis inventum. tormenta, pleraque ex ære, avecta ad trecenta. Quomodo Pagum victori classē porro contenterent, ipsumque Alodinum oppugnarent; objectis transverso flumine munitionibus, custodiisque passim in ripa dispositis, in præsentia prohibiti sunt. cæterum eo facto repressa interim tyranni ferocia, atque ad levandam annonam, in aliquot menses laxamenti nonnihil nostris est datum. Dum in hac rerum vicissitudine Malaca urbs fluctuat; Soarius Prætor ducibus aliis alio missis ad maria tutanda; ipse cum septingentis armatis ad Ceilanum, sive Taprobānam, navium undeviginti classē contendit. Cum Callensi regulo ante multos annos, (ut supra memoravi) Laurentius Almeida pacem ac societatem inierat: Soarius, Columbani præcipue reguli amicitiam & commercium expetebat, quod in ejus potestate laudatissimi cinnamoni sylvas esse non dubie comperisset. cuius item rei fama commotus Emmanuel, id ipsum per litteras accurate mandaverat. Igitur delato in conspectum Ceilani Soario, & Columbanam præcipue oram oculis perlustranti, locus occurrit ad navium appulsum & arcis ædificationem idoneus. hami figura littus in mare procurrit; curuoque anfractu capacem efficit portum, in quem ex insula navigabile flumen illabitur. huc applicita classe, nuntii confestim ad regulum missi, foederis & amicitiae causa, postulatumque de more, ut in usum diversorii merciumque custodiam, contra insidias maxime Saracenorum, castellum ibi liceret extruere, non tam Lusitanis, quam incolis & regulo ipsi, præsidio ac munimento futurum. E Brachmanum disciplina, ut cæteri ferme Indi, erat regulus, atque adeo Brachmanes ipsem. neque ita pollens habebatur ea tempestate viris armisque. quocirca, & patriis institutis peregrinas religiones aversabatur; & in tam tenera insula haud immerito Lusitanam extimescebat vim. Attamen, reputans apud animum suum, quam ex tenui fortuna vicinus Cocini Rex, post initam cum Lusitano amicitiam, ad quantas opes brevi tempore pervenisset; ejusdem successus & emolumēti cupiditate ac spe captus; & de foedere & de castello, non tamen sine aliqua solicitudine, assensus est. Cæterum haud ita diu in sententia perstigit. Saraceni ex continente profugi, vel in primis utilem in ea insula negotiationem paulo ante instituerant. ii, morte tristius rati, inde quoque ab Lusitanis pelli se; toto connixi impetu, regios consiliarios pecunia muneribusque, regulum ipsum adhuc fluctuantem, cum aliis rationibus, tum proposito miserrimæ servitutis metu, facile ab ea mente deducunt: neque id modo, sed etiam ad arcendos aditu Lusitanos, ultro suam ipsi navant operam: iisque præsertim instantibus operi, hortantibusque insulanos, munitiones raptim excitantur. ibi ferrea nonnulla tormenta disposita, & simul, ad novam societatem plane dirimendam, Lusitani pauci, qui, ut in pacatam regionem securi descenderant, intercepti. Soario ad opus inchoandum in terram egredienti, objecta munitio præter exspectationem apparuit. missi protinus ad rem cognoscendam aliquot expediti, renuntiant, mistos insulanis Saracenos in statione versari. Ita Mahometanum scelus haud dubie patuit: & Soarius, omissa interim ædificatione, copias ad pugnam exponit: magnoque usus militum ardore, quamquam assidue jaculantibus contra barbaris, ad ipsa tormenta succedit. Aliquantum laboris ac periculi fuit, dum teliseminus dimicatur: ast ubi ad manus ventum est, momento